

triarchium inuaserint. Quotiens ipsam ecclesiam? Tandem pacis concilian-
de causa: placuit huic sedi diuidere ecclesias earumq; suffraganeos: Vix ea
decreta constitutione: Centenariam insulam seuerus Aquileiensis inuasit.
Ignosce pater sancte. Liberalitas bonitasq; Gregorii ponti. Qui pallium
illud ad lāgobardi regis gratiam dono misit: uenetas ecclesias in has impu-
lit calamitates. Satis illi primum erat superbie. Transmissum a Gregorio
pallium ad insaniam redegit. Vt adhuncusq; diem nunq; ab iniuria crudelis
sime gentis sit cessatum. Quid si ea est hominum inuidia: ut querantur com-
pluribus iā sedibus episcopalibus has insulas decoratas: obsecro pater san-
cte: Expulsi ne ab Arrhianis hereticis miseri episcopi: Qui ad nos confuge-
rent: suscipi ne a uenetis debuerunt: an uero expelli? Simulant de nobis que-
ri: quorum peccatum nullum est: queruntur improbi homines de sacrosan-
cta hac sede deq; superioribus pontificibus: quorum imperio atq; auctori-
tate: quicq; iam sedes episcopales barbaros gladios & Arrhianam perfidiam
fugientes in hęc se stagna receperunt: Quas si uideas tum cleri frequētia po-
pulorumq; tum templis & monasteriis instructas sane retulisse gratiā Ro-
manę ecclesię uidebuntur. Eas quotidie augeri & exrescere ferre nō possūt:
uiam excindendi meditati sunt: si gradensem dignitatem: extinguant. Nā
si hoc recipis pater sancte: nimirum ceterę desolētur ecclesię necesse est. Ne-
q; id satis. Reuertātur oportet insule omnes & oppida in pristinas paludes
fac. n. ut Aquileiensi subdantur. Credis ne pater sancte aliquid magis lan-
gobardos principes tentaturos: q̄ ut tot pulcherrima oppida: tum littorea:
tum insularia desolentur? Ea igitur omnia sustuleris: si gradensem quę ca-
put est: dignitate spoliaris. Non possumus existimare tibi equum uideri.
Sane huic sanctę sedi: nec decori fuerit: nec ornamento: ut nulla unq; heresi
ecclesię pollutę: nullo schismate contaminatę: pontificum dicto semper pa-
rentes: pro gratia meritoq; excidium a barbara gente permittente ac uolen-
te pontifice patiantur. Quid si forte in huius sanctę sedis honorem: aut com-
modum: libet destruere quę condidistis: impera ut libet. Durum erit fate-
or: & morte peius. Sed extingue gradense nomen: demolire ecclesiam meā
quę perq; magnifica surrexit. Dirue oppidum a fundamentis: uacuumq; lit-
tus in harenam uerte. Feremus omnia. Tu pater es. Tu christi uicarius. Nō
minus imperata faciemus in deserendo quę condidimus: q̄ cum ob profa-
nata istorum dogmata ab eorum consuetudine: hac imperante sede disces-
simus. Nostros omnia peccatis atribuemus. Si hęc placent: Fac tu. Non illi
faciant. Non sibi arrogant quod tuum unius est. Sin magis ut speramus se-
mel statutas: & in optimā frugem euectas ecclesias conseruare libet. Noli
Beatissime pater tantum Aquileiensi tribuere: ut destruere possit quod tua
Beatitudo sustinere non ualeat. Potes tu quidem sancte pater facere qd̄ uis
Illi te nolente nō possunt. Honorem summi dei a christo tibi creditum: ne-